doctrinæ lumen accedat, memoria repetendum est, thesaurum hunc, unde hauriuntur Indulgentiæ, Ecclesiæ fuisse concreditum; cumque sit fructus laborum, ac meritorum Domini, ab eo proficisci, illum ejusdem auctorem esse, atque per seipsum confiſſe; sed per manus Ministrorum suorum, & eorum, qui ipsius vices gerunt, quos Sanctus Paulus Mysteriorum ipsius dispensatores appellat, distribuere, atque applicare. Quemadmodum vero Salvatoris merita ad hæc duo præstanda sint efficacia, videlicet ad peccati culpam delendam, & ad pœnam illius expiandam; ita duplex est, eaque varia applicatio pro hoc duplici effectu. Ad culpam delendam, & hanc Dominici Sanguinis applicationem efficiendam, quilibet Sacerdos legitimus est Minister, dummodo habeat intentionem, applicationem, & necessariam ministerio huic peragendo jurisdictionem; sed extraordinaria Sanguinis, & Meritorum Jesu Christi pro peccatorum, & quoad culpam, & quoad pœnam remissione, applicatio a Jesu Christo tradita fuit Ecclesiæ suæ, & relicta in manibus Episcoporum pro particularibus, finitisque Indulgentiis; at majori cum auctoritate relicta in manibus Summi Pontificis pro plenariis Indulgentiis, & Jubilæis. Et hæc una est ex facultatibus ejus auctoritatis, quam Salvator contulit Petro, ubi huic Cœlorum claves commisit; etenim conferens illi potestatem aperiendi Cœlum, simul etiam tradidit illi dispensationem eorum subdidiorum, quæ illuc adducunt, & potestatem obices auferendi, qui aditum ejusdem impediunt. Hæc vero causa est, propter quam ordinaria potestas absolvendi a peccatis differt ab extraordinaria pœnas remittendi, necesse enim est ut prior illa pluribus communicetur; sed ejus elargiendi Indulgentias cum saltem plenarias sunt, atque generales, Supremus Pontifex uni sibi reservare consuevit.

Ratio potestatis, quam habet Ecclesia remittendi pœnas temporales debitas peccato. *Matth. 16.*

Deus S. Petro, ejusque successoribus tradidit Cœli claves cum plena ligandi, solvendique super terram potestate. De hac re dubitari non potest: hæc enim explicita sunt verba Salvatoris: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Igitur qui Cœli claves accepit, ut illud aperiret, & clauderet, consequenter accepit etiam potestatem auferendi quidquid aditum intercludit, & quod impedire potest animam justam corporeis solutam vinculis, ne statim ac sine mora illuc ingrediatur: hanc sane illationem nemo rationabiliter potest inficiari. Quid autem aditum intercludere, vel retardare potest introitum, cum Cœli janua patet; nisi pœnæ, quæ perferendæ sunt, & quæ sunt divinæ justitiæ persolvendæ? Cumque certissime constet, nisi hac in vita divinæ fecerimus satis justitiæ, illam in altera pœnas majori cum severitate expetituram; nonne sequitur, Ecclesiam in Sancti Petri persona, qui illius constitutus est visibile caput, cum clavibus Cœli recepisse potestatem remittendi pœnas has, quæ ad tempus aditum nobis intercludunt? Ex potestate solvendi omnes Theologi inferunt, Indulgentiis remitti posse omnes temporales pœnas cum illas, quas pro peccatorum nostrorum satisfactione nobis imponit Ecclesia, tum illas, quas ob patrata scelera meriti sumus, & quæ uni Deo cognitæ sunt; tum denique illas, quæ in Purgatorio nobis essent perferendæ, si ex hac vita egrederemur, antequam integre illis satisfeciſsemus: *Quidquid solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Dei Filius nihil excipit, sive peccatum sit non remissum, sive pœna peccati jam remissi; omnia generatim hoc verbo continentur: *Quidquid solveris.* Adde his, mirum futurum fuisse, si Salvator Sancto Petro, Ecclesiæque suæ adeo amplam contulisset potestatem remittendi culpam scelerum gravitate, & numero etiam infinitorum, quę prorsus divina potestas est, ac Dei propria, (*Quis est, qui peccata dimittit, nisi solus Deus?*) ei vero negasset facultatem, quę longe minor est, remittendi videlicet pœnas his debitas peccatis.

Veritates supponendæ, ut agnoscatur natura, virtus, & effectus Indulgentiæ, & Jubilæi.

Ad hanc Doctrinam illustrandam, & judicium de illius soliditate ferendum nobis persuasum esse debet de quibusdam veritatibus, quę in hoc argumento fundamentales possunt nuncupari. Prima est, in peccato quolibet, seu veniale sit, seu mortale, duo esse distinguenda, culpam videlicet, & pœnam. Culpa est injuria facta Deo; pœna vero injurię hujus effectus; quod satis patet, quin ulteriori opus sit explicatione. Altera, quę nihilo minus est constans, est culpam sępe remitti, pœnam vero æternam immutari in temporalem, quæ post dimissum peccatum adhuc permanet; plurima hujus rei nobis suppetunt in Scripturis exempla, quorum nonnulla a nobis jam allata fuerunt. Tertia est pœnam, quæ post remissam remanet culpam, Divinæ justitiæ necessario persolvendam esse vel in hac, vel in altera vita; sed longe utilius esse in hoc mundo satisfacere seu per voluntariam pœnitentiam, seu æquo animo, libentique patienter ferendo corporis, animique adversitates, & calamitates omnes, quas divina nobis immittit providentia. Quarta veritas est, pœnam, vel satisfactionem divinæ debitam justitiæ postquam noxa remissa est triplici ratione in hac vita leniri; primo per pœnitentiam, quam imponunt Confessarii, quæ addita Sacramento, cujus est pars, prorsus peculiarem ad finem hunc habet virtutem; secundo per pœnitentias, & satisfactiones, quas peccator, vel alius quilibet facere, & offerre Deo potest pro illo ad finem eumdem: tertio per Indulgentias, per quas infinitæ Jesu Christi, & superabundantes Sanctorum satisfactiones nobis applicantur. Quinta denique, & postrema veritas fundamentalis est, indulgentiam, & remissionem pœnæ peccato debitæ, quæ fit per applicationem Passionum Domini, depromi ex thesauro meritorum illius, quem Ecclesiæ reliquit ad fidelium utilitatem, & cujus depositarium Summum Pontificem voluit. Hæ veritates tamquam in dubium nequaquam revocandæ supponendæ sunt, quæ si rite fuerint conceptæ, facile erit explicare naturam, virtutem, vim, & potestatem Indulgentiæ, & Jubilæi, ac deinde omnes solvere difficultates, quæ hoc in argumento objici consueverunt.

Indulgentiæ, & Jubilæi pro legitimis, ac magni momenti causis sunt concedendæ.

Quantumvis magna fit, lateque pateat potestas a Deo summis collata Pontificibus concedendi Fidelibus Indulgentias, & Jubilæos; credendum non est illos hac uti posse fine legitimis, magnique momenti rationibus. Hoc bonum est, quod illis dissipare non licet, nec prodigere, sed prudenter dispensare, est enim depositum illis a Deo commissum tamquam sapientibus œconomis, ut illud fidelibus tanta prudentia, quanta liberalitate partiantur: œconomus enim sapiens, & fidelis est, cum de bono, cujus habet administrationem, ad majorem heri sui utilitatem disponit. Ita Pontifex nequit ingentes hos aperire thesauros, nisi cum Ecclesiæ maxime interest, cum de gloria Dei augenda, aliove præstanti agitur fine, qualis esset, ut fideles ad pacem precibus petendam, ad belli mala, & funestos effectus, qui illud solent concomitari, deprecandos, excitarentur; ad implorandam hæresum extirpationem, fidei propagationem, inimicorum Ecclesiæ humiliationem, aliaque id genus causas, quæ ut plurimum in Jubilæorum Bullis exprimuntur. Itaque Sanctus Bonaventura, omnesque Theologi sentiunt, Indulgentiam imprudenter, ac temere concessam nullam fore. Finis ergo, quem Summi Pontifices sibi proponunt, est, obtinendi per opera bona, facilia, & communia, quæ ad Indulgentiam lucrandam imponunt, magnum aliquod bonum, & bonum, ex quo plus gloriæ Deo cedat, quam ex satisfactione, quæ in Purgatorio ejusdem præberetur Justitiæ, vel si diuturnas, durasque in scelerum pœnam auferirates pateremur. Ita loquitur Cardinalis Bellarminus: cumque Supremus Ecclesiæ Pastor ita se gerit coram Deo in commissorum sibi thesaurorum dispensatione, dici potest, perfecte suo munere fungi.

Non est prodigere paucas preces, aliaque bona opera petere, ut tanto beneficio perfruantur.

Hæretici, immo etiam nonnulli Catholici objiciunt, Summum Pontificem adeo egregium tantæque perfectionis finem habentem, minime iis uti adminiculis, quæ fini huic congrua videantur. Insignes a Deo gratias obtinere vult, & ad id nihil aliud, nisi breves aliquot preces, quædam jejunia, quasdam eleemosynas, aut levem aliquam mortificationem indicit. Sed qui hæc objiciunt, non attendunt ad ea, quæ ob oculos ipsorum versantur; videlicet statim ac Jubilæus indictus est, Populos, Civitates, atque Provincias, & omnia ferme Catholica regna maximo cum ardore ferri ad ea efficienda, quæ ad illud lucrandum imperata sunt. Non enim confiderandum est quid quisque singillatim agat seorsim ab aliis, quasi solus esset in terris; addendæ sunt omnes preces, quæ enixe, & certatim in orbe toto ab omnibus fidelibus effunduntur ductis spe obtinendi remissionem pœnæ, quæ suis omnibus peccatis debetur. At Sanctus Pater tutius magnum aliquod Ecclesiæ bonum procurare non posset, nisi excitando, ut solet, filios suos ad illud conjunctis precibus efflagitandum. Et pa-

tet ratio: Cum enim ea, quæ ab illis petit, facilia sint, & Indulgentia, quam illis concedit, sit magna, & plenaria; omnes excitantur ad explendum id quod imperatum est, sperantes se magni hujus boni futuros participes: e contra vero si illis difficilia imperaret, pauci, uti oportet, illa adimplerent, & qui melius, quam cæteri hæc adimplerent, utpote pauci, minus bonum efficerent, quam tota simul hæc magna multitudo, quæ haud ægre, & gravate exigua illa, quæ sibi imperata sunt, operatur.

Quod Summi præscribunt Pontifices non est adeo leve, & facile, uti vulgo existimatur.

Quod Supremus præcipit Pastor ad Jubilæum, vel plenariam Indulgentiam lucrandam, non ita leve est, ut primo statim videtur intuitu. Ut hoc intelligamus, satis est ad examen revocare circumstantias; etenim primo nullam, quæcumque illa sit, lucrari possumus Indulgentiam, nisi in statu gratiæ fuerimus. Ut autem simus in statu gratiæ, plurima requiruntur, quorum qui alicui mortali peccato sunt obnoxii, fentiunt difficultatem; quæ tanta est, ut illi ipsi aliquando hoc fieri nequaquam posse dicant. Sincera, & integra facienda est confessio, firmum, & efficax concipiendum propositum melius vivendi, evitandi occasiones, per quas iterum in culpam relabi possit, & socios, qui illuc valeant pertrahere; aliena bona restituendi, reparandi jacturam, quæ vel obtrectationibus, vel scandalis illata fuit; verbo, adimplendæ sunt omnes illæ conditiones, quæ in bona Confessione, & vera cordis, morumque conversione requiruntur. Post hæc esto leve sit, quod in Bulla præcipitur; ut certus sum, hoc omne non leve judicatum iri propter primam hanc conditionem, qua in statu gratiæ esse debemus, & ea omnia præstare, quę ad id sunt necessaria.

De Indulgentiis particularibus.

Omnes fatentur justas requiri causas ad hoc ut generales Indulgentię, & Jubilea concedantur, atque publicis Ecclesię necessitatibus probari Summorum Pontificum hac in re consuetudinem. At plures in dubium revocant validitatem particularium Indulgentiarum large adeo, effuseque concessarum Confratribus, Ordinibus Regularibus, Congregationibus, & iis, qui quędam pietatis opera exercent. Ad eas probandas, ecce quid celeberrimi Doctores dicant. Plures sunt nostrę Religionis articuli, quos Hęretici conantur evertere, quales sunt cultus Reliquiarum, invocatio Sanctorum, preces pro Defunctis, bonorum operum praxis. At ad fidem tuendam quid magis efficax est, quam pietatis, & religionis exercitia, quę ab illis omnibus habentur, qui Indulgentias lucrari conantur? Alioquin enim hęc Religionis principia fensim in populorum mentibus infirmarentur per Fidelium negligentiam, & contemptum, in quo ab hęreticis, & impiis habentur. Non igitur sine causa hoc in sęculo adeo corrupto, ubi error, & licentia graſſantur, quorum cursum inhibere quam maxime refert, Pontifices amplissimas concedunt Indulgentias illis, qui hęc bona opera exercent, quę Hęretici tantopere improbant, & qui hac mente, & ad hunc finem congregantur; cum bonum, atque utilitas, quam inde percipit Ecclesia, major fit, quam pœnitentia, quam illi pro peccatorum suorum expiatione susciperent.

Quarum pœnarum obtinetur remissio per Indulgentias.

In diversa abeunt Theologi, ubi sermo est de utilitate, quę percipitur ex Indulgentiis licet ad optimum finem concessis. Inter illos habetur quæstio de pœnis, & satisfactionibus earum virtute remittendis, postquam remissa fuerit peccati culpa, & pœna æterna, quę eidem debetur. Tenent alii remitti solum pœnas, quę in confessione imponendę essent congruę magnitudini, atque multitudini peccatorum, quę patrata fuerunt; quales erant pœnę Canonicę, quas olim imponebat Ecclesia, & quas deinde quibusdam pœnitentibus remittebat: hęc enim origo, primusque fuit usus Indulgentiarum; & Tridentinum Concilium videtur, inquiunt, hanc probare sententiam, præcipiens, ut Indulgentiæ, quarum usus est retinendus, ad veterem consuetudinem redigantur. Sed cum hæ Canonicæ pœnæ jam obsoleverint, nonne Indulgentiarum virtutem, ac usum quodammodo ad nihilum redigeret, qui illas coarctaret ad supradictarum Canonicarum pœnarum supplementum? Docent alii, quemadmodum Indulgentia, & pœnarum peccato debitarum remissio illis tantum concedebatur, qui incœperant impositam sibi peragere pœnitentiam, & qui in eadem erant perseveraturi; sed qui propter infirmitatem illam ad finem usque perducere non poterant; vel qui in periculo erant, ne vitæ prius, quam pœnitentiæ finem facerent; eo in casu seu ad interceſſionem, & commendationem Martyrum, cujus quam maxima ratio habebatur, videns Ecclesia eorum fervorem, & dolorem, quem ob scelera sua testabantur, imminuebat tempus pœnarum, quas illis imposuerat, & quod supererat, quasi rite persolutum censebat. Ita, hi Doctores inquiunt, illi tantum, qui suum probarunt dolorem magnis susceptis austeritatibus, & qui pro viribus divinæ satisfacere justitiæ conantur, merentur Indulgentiam, quæ illis Domini satisfactiones applicans, iis, quæ remanent, suppleant. Sed præterquamquod solus patratorum criminum dolor tantus esse potest, ut sine ulla Indulgentia sufficiat, ac satisfaciat pœnæ universæ, quæ criminibus debetur; & ille cum ad Sacramentum recipiendum satis est, magnam semper pœnarum partem remittit; quis non intelligit hac doctrina coarctari potestatem, quam Dei Filius sine ulla restrictione concessit Ecclesiæ omnem æque pœnam, atque culpam peccati remittendi? *Quodcumque solveris.* Ecclesia vero nonne fideles falleret, ac se ipsam quoque deciperet suæ potestatis ignara plenarias Indulgentias impertiens? Hoc sane cogitari non potest, quin erroris, vel imprudentiæ redarguatur. Alii denique Ecclesiæ hac in re auctoritatem agnoscunt; sed ex hac integra remissione eximunt pœnitentias in confessionibus, quæ Jubilæum præcesserunt, inflictas, neque adimpletas, & eas, quas Confessarii infligere possunt, in eadem Confessione, quæ præcipitur, tamquam dispositio ad Indulgentiam, vel Jubilæum lucrandum. Sed licet huic innitantur rationi, quod satisfactio pars est Sacramenti, quod pro dispositione requiritur; & licet pœnitens teneatur completum efficere Sacramentum impositam adimplens pœnitentiam: magis sana tamen opinio, magisque Ecclesiæ sensui conformis est; Indulgentia, cum plenaria est, omnes remitti pœnas, immo etiam satisfactionem impositæ pœnitentiæ, si quis humanis decederet, quin improbe illam omisisset; tandem enim redeundum est ad illa verba, quibus nihil excipitur in ea, quæ confertur, potestate solvendi, ac remittendi quidquid Cœli aditum intercludere posset homini, qui lucratus Indulgentiam vita defungeretur: *Quodcumque solveris super terram.*

Indulgentiæ legitime collatæ non prodbant relaxationem, neque poenitentiam exercendi.

Vidimus jam ad plenariam Indulgentiam lucrandam opus esse semet disponere gratiæ statum acquirendo, ideoque absolute peccatum, & proximas peccati occasiones omnino relinquendo, quod quidem in pœnitentia difficillimum est, & maxime essentiale. Indulgentia autem, & Jubilæus, qui nobis offertur, occasio acceptabilis est ad flagitia deferenda, atque cor, & mores immutandos, ad quod in Bullis suis nos invitant Pontifices, ut in statum adducamur a Deo obtinendi, quod pro Ecclesiæ bono enixius efflagitant. Igitur tantum abest quod hoc nos a pœnitentia dimoveat, ac illius spiritum extinguat, quod nonnulli asserere non dubitarunt, spe absolutissimæ peccatorum nostrorum veniæ, & pœnæ illis debitæ; ut immo ad pœnitentiam nos invitet, nos alliciat, & illius nobis omnia præbeat subsidia. Sin autem veteris Ecclesiæ praxis adferatur in usu Indulgentiarum; respondebimus Ecclesiam sapienter morem illum secutam fuisse, dum primus Christianæ Religionis fervor minime intepuisset, licet aliter efficere posset; & quemadmodum immutavit consuetudinem, ac disciplinam in rebus pluribus, præsertim vero in iis, quæ ad pœnitentiam pertinent, cujus rigorem moderata est, ut filiorum suorum infirmitati indulgeret, ita nunc uti hac potestate, ut per indulgentias Cœli viam illis sternat facilliorem.

Quid sibi voluerit Tridentina Synodus Indulgentias secundum veterem consuetudinem moderata.

Qui spiritu severitatis acti adversati sunt indulgentiæ, qua hodierna die utitur Ecclesia, ſtudent in partes suas Tridentinam Synodum pertrahere, quæ retinens usum Indulgentiarum, utpote Fidelibus saluberrimum, jubet eas ad veterem consuetudinem revocari, unde arguunt, illis nullam vim, nullamque inesse virtutem, nisi quam mutuantur a pœnitentia, cujus, ut ipsi loquuntur, Indulgentiæ non aliud sunt, quam supplementum. At, ex hominibus ejusmodi, quibus veteris disciplinæ ratio adeo curæ est, liceat mihi scifcitari, utrum Synodus illa restituere voluerit pœnas Canonicas, eadem ratione usura, qua olim utebatur Ecclesia? Hoc enim inane fuisset consilium, & quod adimpleri nullo pacto valuisset. An voluerit eam auferre potestatem, quam contulerat Deus Ecclesiæ capiti remittendi culpam, & pœnam peccatorum, vel saltem eam coarctare, eique limites statuere, vel denique potestatis hujus exercitium infringere? Hoc profecto dici nequit; vult enim Indulgentiarum usum, utpote fidelibus salutarem, retineri. Hoc unum igitur di-

cen-

cendum reſtat non aliud ſtatuere voluiſſe, niſi ut ea confirmarentur, quæ a Lateranenſi Concilio, & aliis, quæ præceſſerant, jam fuerant ſancita; ut videlicet auferrentur abuſus, qui obrepſerant in hujus theſauri diſpenſationem, & qui noviſſimis illis temporibus, quod neminem latet, eo pervenerant, ſeu per Miniſtrorum avaritiam, quæſtum inde facere quærentium, ſeu per eorumdem ambitionem vindicantium ſibi poteſtatem, ac jus illas pro ingenii ſui libidine diſtribuendi, ut nimis frequens illarum uſus aliis quidem eas contemptibiles faceret, aliis vero anſam præberet negligendi pœnitentiam, ſperantibus, ſe modico ſumptu Divinæ Juſtitiæ ſatisfacturos. Præterquamquod cum Synodus iſta præcipit, ut Indulgentiarum uſus ſecundum veterem conſuetudinem reformetur, haud illa quidem primi ſæculi, ſed ſequentium ſæculorum intelligit conſuetudinem; quibus cœptum eſt iiſdem uti ad fideles ad opera bona excitandos, vel ad obtinendum a Deo auxilium, cum Eccleſia gravibus premeretur neceſſitatibus, tunc enim proprie initium fecit conſuetudo illas diſtribuendi eo modo, quo cupit Concilium, videlicet infrequentius, & ob graviſſimas cauſas, & minori largitate, quam antea.

De Indulgentiarum veritate.

Hoc tamen non prohibet, quominus Indulgentiarum uſus in Eccleſia æque vetuſtus ſit, ac ipſa Eccleſia, quandoquidem illis uſus eſt Sanctus Paulus erga inceſtum Corinthium, cum impoſitæ pœnitentiæ partem remiſit. Liquido conſtat etiam morem hunc ſemper deinceps obtinuiſſe, ut patet ex Tertulliano eo in libro, quod ad Martyres ſcripſit; ex Sancto Cypriano in epiſtola 15. & in tractatu de lapſis tempore perſecutionis; ex primo Nicæno Concilio, & ex Ancyrano, quod priori eſt antiquius.

D. Thom. 4. diſt. 20. art. 3. quæſt. 2.

Profecto Sanctus Thomas teſtatur, Sanctum Gregorium inſtituiſſe Indulgentias Stationum Urbis, ac ſeptennii indulgentiam conceſſiſſe illis, qui ea inviſerent Templa, quemadmodum deinde ſucceſſores ejus eidem rei plenariam Indulgentiam conceſſere. Ad hæc certum eſt remiſſiones, quas Martyres intercedebant peccatoribus, pœnarum eiſdem impoſitarum, fuiſſe quoque pro pœnis, quas divinæ debebant juſtitiæ, alioquin parum his fuiſſet iis liberari pœnis; quæ peccatis ſuis debebantur coram hominibus, niſi & coram Deo fuiſſent liberati. Hoc autem explicitis verbis Tertullianus, & Sanctus Cyprianus teſtantur.

De Indulgentiis pro Defunctis.

Hic locus non eſt verba faciendi de Indulgentiis in Defunctorum gratiam conceſſis, ſcire tantum neceſſe eſt, hoc diſcriminis intereſſe inter has, & eas, quæ viventibus conceduntur, quod illæ quidem in abſolutionis, & remiſſionis, hæ autem in ſuffragii, & precum formam tribuuntur. In hoc mundo Eccleſia remittit pœnas peccatis debitas auctoritate ſimul, & precibus, in altero vero precibus tantum; & indulgentiæ quas in altero hoc modo largitur, non aliud ſunt quam vota, & ſatisfactiones, quas offert Deo, ad obtinendam illius miſericordiam, qui dignatur ex theſauris, quos ipſe reliquit, accipere ſolutionem pro temporalibus pœnis, quæ ſibi ab animabus Defunctorum debentur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, & nuperis Concionatoribus loci hujus argumenti.

Indulgentia, & Jubilæus vis eſt compendioſa, atque extraordinaria ſatisfaciendi juſtitiæ Dei.

TEmpore hoc, vel nullo imitari oportet Apoſtolum, & in nobis adimplere ea quæ deſunt Paſſioni Dominicæ operibus pœnitentiæ; a Deo petere veniam, & Indulgentiam peccatorum noſtrorum ſatisfactionibus condignis, & quæ delicta noſtra maxime deceant, quemadmodum loquitur Sanctus Cyprianus: *Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur*. Jubilæus eſt indulgentia compoſita ex Sanguine Dei, & lacrymis, jejuniis, precibus, atque eleemoſynis peccatoris pœnitentiam agentis, quæ divinæ juſtitiæ ultiones exhaurit, & ignem iracundiæ ejus extinguit. Divinæ autem juſtitiæ ſatisfaciendi duplex via eſt, ordinaria altera, altera extraordinaria. Prior illa via eſt pœnitentiæ, jejuniorum, precum, eleemoſynarum; quibus nemo nocens uti non poteſt. Altera vero eſt via gratiæ, & quæſtum miſericordiæ ſimul, juſtitiæque commixtio. Hæc extraordinaria eſt, nam modico multum acquirimus, levibuſque ſumptibus Divinæ ſatisfacimus juſtitiæ; unde duplex diſcrimen pœnitentiam inter, & Jubilæum eſſe argumentor. Primum eſt, pœnitentiam lento gradu procedere; plurimum in eadem temporis requiri; hodierna die jejunium, craſtina aliud; quemadmodum plurimum requiritur temporis, ut ad ultimum uſque quadrantem æs alienum diſſolvatur, cum paulatim, ac per intervalla diſſolvitur. At per Indulgentiam divinarum miſericordiarum compendium aſſequimur; ibi præceps fit operatio; præproperum iter eſt, & quod integris pœnitentiæ annis vix expiatum fuiſſet, unico Indulgentiæ die expiatur. *P. Texier, Sermone de Jubilæo, qui eſt ad Calcem Dominicalis.*

Eiuſdem Sententiæ continuatio.

Quidam Eccleſiæ Patres pœnitentiam vocant *compendium pœnarum æternarum*; quod enim Divinæ debemus juſtitiæ in æternitate paucis diebus per pœnitentiam expiatur. Indulgentiam vero ipſius pœnitentiæ compendium dicimus, quia pœnitentia majori nobis labore ſtat, ipſa Indulgentia. Aliud quoque diſcrimen eſt, quod peccata expiare per diſtrictam hanc pœnitentiæ viam difficile eſt, ſed per Indulgentiam facile: illa enim Baptiſmus eſt juſtitiæ, hæc miſericordiæ. Ita tria Baptiſmi genera quodammodo diſtinguere poſſumus. Baptiſmus aquæ nullo ſtat pretio illum recipienti; Baptiſmus pœnitentiæ, multo; Baptiſmus Indulgentiæ inter utrumque poſitus modico; ibi enim exiguis ſumptibus generalem omnium peccatorum noſtrorum expiationem nanciſcimur. Hæc eſt commixtio quædam ſatisfactionum, & Jeſu Chriſti, & peccatoris; modicum illud, quod peccator confert, plurimi æſtimatur. Attamen Jubilæi nequaquam noſtris, ſed præſertim Dominicis ignituntur ſatisfactionibus; etenim Dominus Jeſus hanc nobis Indulgentiam ſuo cruore promeruit, nobiſque meritorum ſuorum theſauros reliquit, ut his ſumptibus locupletaremur. *Idem*,

Indulgentia ſæpe unica eſt, quæ nobis ſuperſit via divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi.

Nonnulli ſunt, quibus non alia ſuppetit ratio expiandi peccata ſua præter Indulgentias, quia jejunia, preces, & eleemoſynæ, quas faciunt, & quæ ad hunc effectum præcipiuntur, illis minus ſunt materia ſatisfactionis pœnæ Deum, quam cauſa ſupplicii; itaut Indulgentiæ numerandæ ſint inter Dei beneficia inſigniora, & quorum maxime egemus; niſi enim miſereretur Deus noſtræ infirmitatis, niſi aliquid de ſuo jure remitteret, ſi juxta rigoroſæ juſtitiæ leges nobiſcum ageret, quomodocum omnia delicta noſtra expiare poſſemus operibus ſatisfactoriis, quæ exigua ſunt, pauca, & ſæpe etiam pluribus permixta defectibus, ut præclare nobiſcum agi cenſendum ſit, niſi nobis in peccatorum numero recenſeantur? Quid ergo de nobis fieret, niſi Deus Indulgentias nobis conferre dignaretur? Sed tantum quidem negligentiæ, fidei vero tam modicum in mundo eſt, ut non multi videantur, præſertim vero peccatores infignes, qui ex tanto beneficio fructum percipere conentur: itaut adeo pretioſi muneris contemptus non ſit poſtrema ratio, propter quam hujuſmodi homines altera in vita diutioribus afficientur ſupplicüs. *P. Monfort, in libro de Charitate pro Defunctis.*

Cur Dei filius Summis Pontificibus conteſtatem applicandi meritum ſuum per Indulgentias.

Cuinam reliquerit Deus Indulgentiarum diſpenſationem.

Cuinam jure attribuere poſſumus hanc poteſtatem conferendi Indulgentias, & diſtribuendi pretioſum theſaurum hunc, niſi illi, cui Salvator dixit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis?* Quiſnam potiori jure hoc ſibi vindicare poteſt, qui magis idoneus eſt ad hanc exercendam auctoritatem, quam Sanctus Petrus, & ſucceſſores illius? quam Sanctus Petrus, inquam, cui Salvator ſuas oves commiſit, cui Cœlorum claves tradidit, cui abſolutiſſimam elargitus eſt poteſtatem ligandi, atque ſolvendi? Quid eſt habere claves Cœli, niſi illud aperire, & auferre poſſe, quidquid aditum illius intercludit? Quid autem prohibere poteſt, ne juſtorum animæ de corporibus egreſſæ illuc ſtatim ingrediantur, niſi temporalis pœna ſubeunda, antequam janua illius aperiatur? Qui ergo Cœli claves accepit, accepit quoque poteſtatem obicem hunc auferendi, ut animæ nihil divinæ debentes juſtitiæ e corporibus non egrediantur, niſi e carcere ſuo ad Cœli gloriam migraturæ. Salvator aperte hanc memorat poteſtatem cum ait; *quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Nihil excipit; ideoque quidquid animam ligare poteſt, eamque Cœli aditu prohibere, ſive peccatum ſit non remiſſum, ſive pœna peccati jam remiſſi, omnia generatim his verbis continentur: *Quodcumque ſolveris*. Ita Sancto Petro nihilo confirmus majorem auctoritatem, quam ab ipſo acceperit Jeſu Chriſto: & quemadmodum hæc auctoritas Petro collata fuit non pro ipſo tantum, ſed pro Eccleſia univerſa, Paſtor enim minus ſuiipſius eſt, quam gregis ſui, ita illa ad ſucceſſores ejus debet migrare. Igitur ſi Jeſu Chriſti grex permanet ſemper, ſi nos ex hoc grege ſumus æque ac primitivæ Eccleſiæ Fideles, eundem habemus Paſtorem Sancti Petri ſucceſſorem. Hujus igitur eſt nos abſolvere, ſi quid peccamus, omniaque peccati vincula infringere, quæ nos in Cœli via remorantur. *Idem*.

Si Salvator S. Petro conſulit auctoritatem dimittendi peccata, quo modo neſſet poteſtatem leves aliquot pœnas peccatis debitas remittendi?

Si Salvator Miniſtris ſuis contulit poteſtatem dimittendi peccata, quæ antequam remitterentur, æternum merebantur ſupplicium, mirum videbitur, quod illi contulerit auctoritatem dimittendi quaſdam pœnas, quæ poſt dimiſſa peccata adhuc perſolvendæ ſuperſunt non quidem in Inferno in æternum, ſed ad tempus in Purgatorio? Profecto multo minor requiritur poteſtas ad aliquem ex Purgatorio eruendum, quam ad prohibendum ab Inferno. Ideoque mirum potius eſſe deberet, ſi Salvator, cum Sancto Petro adeo abſoluram contulerit poteſtatem abſolvendi ab omni ſcelerum genere, negaſſet illi auctoritatem dimittendi leves aliquot pœnas, & ſi cum Infernis ignibus conferantur, brevi duraturas . . . .

Quanti referat lucrari Jubilæum, & Indulgentias. 1. ad Cor. 6. Ibidem.

Quantum debemus Deo, quod nobis ſuorum meritorum theſaurum reliquerit. Euſeb. Emiſſ.

Publicæ intereſt rei, quod omnes Jubilæum lucrentur.

Quæ ſit Cum tempus elapſum fuerit, volent quidem, ac converti non poterunt; quia nonniſi tenues gratias habentes numquam emergent ex hoc ſtatu, in quo verſantur. Hæc magna eſt prædeſtinationis nota, David ait, quærere Deum, dum inveniri poteſt, & ad eum tempore opportuno confugere: *Orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*. Vos igitur cum Spiritu Sancto obſecro, & obteſtor per ſalutem veſtram, ne labi patiamini vel unum adeo pretioſi temporis momentum. Hujuſmodi Jubilæi, & Indulgentiæ non conferuntur quotidie; noſtrum eſt ſingulariter hiſce gratiis uti, cum a Deo offeruntur. *Idem*.

Pſal. 31.

Veteris legis Jubilæus obſolevit, at nova legis viget.

Nequaquam veteris Jubilæi tubis clangimus captivis nunciatur, eos libertate eſſe donandos, in carcere detentis eorum compedes eſſe infringendos, ære alieno obſtrictis eorum debita eſſe dimittenda, iis qui hæreditatem ſuam alienarunt, hanc ad ipſos poſtliminii veluti jure eſſe reverſuram. Evanuerunt umbræ, figuræ tranſierunt, veritas prorſus manifeſtata eſt. Miniſtri Domini, in quibus ille poſuit reconciliationis verba, his diebus nobis pacem annunciant Jubilæum annunciantem, pacem ineffabilem, quæ juxta Apoſtoli ſententiam excedit quidquid dicere, aut ſentire poſſumus, pacem integram, atque perfectam, in qua Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ſatis eſſe non putans nobis peccata noſtra dimittere, ac nos iis liberare pœnis, quas meriti fueramus, in additamentum Miſericordiæ dignatur etiam temporales relaxare pœnas, quas ſibi juſtitia ipſius reſervaverat. *Ex Dictionario morali Sermone 1.*

Cum Eccleſia loquitur de Indulgentia, & Jubilæo, loquitur de pace, & reconciliatione cum Deo.

Hoc poſito, quod in dubium revocati non poteſt, Eccleſiæ jus eſſe Jubilæos, & Indulgentias concedendi, ajo, quotieſcumque de illis nobiſcum loquitur, toties de gratia, miſericordia, remiſſione, pace loqui. Quid enim eſt Jubilæus? Eſt relaxatio, atque remiſſio pœnarum peccatis debitarum iis facta, qui vere ſunt pœnitentes, relaxatio, & remiſſio non in hac tantum vita, ſed in altera quoque valida, contra errorem Lutheri. Perſolutio eſt pro nobis facta, qui ære alieno obruti, cum ſolvendo minime ſimus, utimur theſauro compoſito ex infinitis Jeſu Chriſti meritis, quæ ſola per ſe debita quæcumque diſſolvere poſſunt, & ex plurimorum Sanctorum ſatisfactionibus, qui plura paſſi, quam divinæ juſtitiæ deberent, nobis ingentes reliquerunt opes, quibus locupletaremur, & Domino perſolveremus quæcumque ejuſdem juſtitiæ debemus . . . Quæ igitur noſtra cæcitas eſſet, vel ſtupiditas, niſi uti contenderemus hac gratia, quæ adeo generoſe nobis offertur? niſi aliud quodcumque negotium negligeremus, ut noſmet diſponeremus ad hos pacis fructus percipiendos, qui modico, vel ferme nullo nobis ſtabunt impendio? niſi tot occupationibus, quibus diſtrahimur, expediti noſmet pararemus cum alacritate id recipiendo, quod plurimis pœnitentibus tot lacrymis ſtetit? *Idem*.

Proprius Jubilæi effectus.

Directus, & immediatus Jubilæi, vel Indulgentiæ effectus non eſt peccata remittere; ea quippe jam remiſſa ſupponit; eſt temporalium pœnarum relaxatio; oportet igitur non eſſe nos æternis obnoxios: eſt additamentum gratiæ, & veniæ extra Sacramentum Pœnitentiæ; alia igitur gratia præcedere debet, quæ ſit effectus Sacramenti: eſt plena reconciliatio amicis conceſſa; hinc inde ſequitur nos non amplius haberi tamquam inimicos; eſt reſtitutio primorum baptiſmalis innocentiæ, quæ amiſſa fuerat, bonorum. Poſtquam in remota terra patrimonium diſſipavimus, ut olim prodigus filius, cum gaudio paterna in domo recipimur, prima induimur ſtola, annulum, & alios ornatus, quibus antea decorabamur, deferimus: ſed quando? cum proſtrati ad optimi Parentis pedes ſummo dolore confecti dicimus: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis*. *Idem*.

Utilitas, aliique effectus Jubilæi.

Secundum Canones antiquos pro uno tantum mortali peccato tot præcipiebantur anni pœnitentiæ, & tot pro alio. At quot peccata patraſtis, ex quo rationis uſum obtinuiſtis? nonne illorum numerus capitis veſtri capillos excedit? Licet ergo pluribus ſæculis vixeretis, hoc vitæ ſpatium, quantumvis diuturnum, ſatis fortaſſe non eſſet, ut magnitudinem explere poſſetis earum ſatisfactionum, quas Divinæ juſtitiæ debetis. Quantum igitur eſt Jubilæi, vel plenariæ Indulgentiæ beneficium? Hoc non imminuit ſolum tempus impoſitum pœnitentiæ, qualis erat conſuetudo Indulgentiarum, quæ primis Fidelibus concedebantur, non ſolum opem fert, ut ea, quæ vel in hac, vel in altera vita debemus, perſolvamus Deo, ſed, quod Indulgentiæ, & Jubilæo eſt eſſentiale, modicis ſumptibus immania perſolvit debita, Deo propriis ejuſdem bonis ſatisfacit, & ex

thesauro meritorum Domini depromit, unde ad ultimum usque quadrantem quidquid debemus dissolvat. *Idem ex parte. Sermone 2.*

Ecclesia e re potius censuit hoc sæculo uti indulgentiis, quam veteris pœnitentiæ severitatem revocare,

Novissimis hisce temporibus primorum sæculorum austeram disciplinam revocare velle inter pœnitentiam, & peccata, in quæ aliquis lapsus est, eam exigere proportionem, quæ in primæva servabatur Ecclesia restituere Canones antiquos, qui pane solo, & aqua jejunium servari, solo incubare, cinerибus adspergi, & patientia plurimos annos probata expectare jubebant criminum absolutionem, idem esset ac extremis hisce caducitatis Christianismi temporibus ab homine senio, morbisque confecto id expetere, quod experendum esset ex robusta, laboribusque assueta virilitate. Jactet, quicumque voluerit, morum disciplinæ austeritatem; nunc tempus non est illam ad ea extrema redigendi, quæ ad desperationem adducant. Tempus non est docendi panem cum lacrymis esse miscendum, quod fecit David; cilicium induendum, ac caput cineribus adspergendum, quod Ninivitæ fecerunt. Doctrina hæc amara est, atque terribilis, quæ ut plurimum nullum potest fructum percipere. Sed nunc res considerandæ sunt, quales sese modo habent, quales esse permittit Ecclesia, quales tenera hæc, sapiensque mater utiles censuit, ut filios debitis exoneraret per dispensationem cœlestium thesaurorum, qui sibi fuere concrediti, & quos ipsa illis aperit Jubilæos, & Indulgentias elargiens. Quod primis illis sæculis fecit Ecclesia, sapientissime factum fuit; quod posterioribus præstitit, non minorem sapientiam ostendit. Si per Jubilæos, atque Indulgentias imminuit, ac fere antiquavit veterum pœnitentiarum severitatem, id fecit, quod se facere posse, immo quod sibi faciendum esse existimavit. Pepercit illa filiorum suorum infirmitati, rationem habuit frigescentis eorum charitatis; & ne amitteret omnia; antiqui fervoris reliquias servavit, lenius, quoad potuit, efficiens disciplinæ jugum, quod Christiani penitus fortasse excussissent. *Idem.*

Felicitas eorum, qui lucrati sunt Jubilæum.

Ullane aptiori uti possum comparatione ea, quæ sancto hoc Jubilæi tempore eveniunt, oftensurus, quam id in medium proferens, quod olim contigit Loth, ut de Sodomis educeretur: *Surge*, dixerunt Angeli ad illum divinitus missi, *ne & tu pariter pereas in scelere civitatis*. Hoc sane fuit divinæ prædilectionis erga Patriarcham argumentum. Sed ubi viderunt Angeli illum hæc dissimulantem, semper differentem exitum, ac tranquille in tanto periculo permanentem, ac si illi nihil metuendum esset, relinquentes infinitum calamitosorum hominum numerum igneo, sulphureoque imbre consumi, hunc manu arripuerunt, atque ex nefario solo egredi coegerunt. *Eduxerunt eum, & posuerunt extra civitatem*. Hoc prædilectionis, & prælationis est argumentum. Fatemini, o Fideles, numquid diebus istis aliquid simile vobis evenit? Ad id comparate impensas Dei invitationes, atque obductationem vestram; charitate refertissimas Ministrorum ejus sollicitationes, & cunctationem vestram; saluberrima consilia, quæ illi vobis suppeditarunt; & animi vestri repugnantiam, qua illis adhærere perhorrebatis. Ipso Loth nocentiores eos ita frigide, & oscitanter audistis, quasi res vestra non ageretur. At demum gratiæ vis effecit, ut serio conscientiæ vestræ statum reputaretis; misericors, & omnipotens manus vos periculo, in quo alii plurimi interierunt, eduxit. Ecce jam ad montem perveniistis, lætamini. Hanc autem respicite non solum tamquam personalem, verum etiam tamquam integram, & absolutissimam gratiam per solemnem Jubilæum concessam. *Idem.*

Genes. 19.

Quanta sit Jubilæi gratia.

Quædam sunt gratiæ, quas Deus secundum nostram intelligendi rationem nobis tamquam bonus, & misericors elargitur; aliæ, quas plenis manibus effundit tamquam magnificus; vel si aliis me verbis uti placet, alia communis est, consuetaque misericordia, & alia, quam David magnam, & superabundantem vocat. In posteriori hoc sensu considerari potest gratia Jubilæi, qua Deo satis non est patrata nobis delicta, æternaque remittere pœnas, quas illa merebantur, sed excessu quodam charitatis vult non exigere, sed remittere temporales etiam pœnas, quas justitiæ illius debebamus. Olim cœlestes aquæ guttatim tantummodo, & in quosdam tantum locos decidere videbantur; sed hoc tempore universum Christianum orbem irrigant. Hic est universalis Jubilæus. In lege veteri olim ties tantum erant urbes refugii citra Jordanem, at deinde tres aliæ trans eumdem fluvium fuerunt; satis aperta figura variæ agendi rationis, quam & primis sæculis, & novissimis hisce temporibus Ecclesia secuta est. Primum quidem Indulgentiæ spiritualia refugia erant infrequentiora, sed deinde facta sunt magis communia. Ecclesia, quam semper Dei Spiritus dirigit, antiquitus raro aperiebat thesauros, quorum dispensationem illi credidit Dominus. Ejus filii tunc temporis ut plurimum omnis gratiæ divitiis abundabant, ferventes erant, virtutibus ornati, pietatis operibus dediti; hodie vero sunt pauperes, ære alieno gravati, parum solliciti ad essentialia Religionis suæ munera obeunda; quid melius efficere potest Ecclesia, Mater hæc amantissima, illis amorem, ac miserationem suam testatura, quam per intervalla suppeditare subsidia, quibus in suis infirmitatibus roborentur, & ea, quæ divinæ debent justitiæ, persolvant? *Idem.*

Pie, ac devote adimplendæ sunt conditiones ad Jubilæi lucrandum necessariæ.

Omnes Pontificum Bullæ ad Jubilæum lucrandum præcipiunt Stationes, Ecclesiarum visitationes, preces, eleemosynas, atque jejunia. Quis ambigit utrum hæc omnia pietatis sensu, & eo, quo fieri potest, fervore præstanda sint? Indulgentia, & Jubilæus sunt compendiosæ satisfactiones; fervore, ut ita dicam, pensanda est diuturnitas, & severitas pœnitentiæ, quam juxta vulgatum divinæ justitiæ cursum peccata nostra promeruissent. In Stationibus hic sensus habendus est. Tot vel inutiles, vel noxios gressus protulimus, ut ad creaturas accederemus, aliqui etiam efficiendi sunt, ut ad Creatorem accedamus. Tot obvimus locos, ubi innocentiæ jacturam fecimus; in templa etiam eundum est, ut illius reparandæ gratiam a Domino obtineamus. In precibus effundendis meminisse oportet, nos toties sine attentione, immo cum mentis evagatione, & sine constanti consilio relinquendi peccata oravisse: opus est saltem, si volumus meritas pœnas nobis omnino remitti, opus inquam est, ut serventioribus, sanctioribusque orationibus flectamus Deum. Jejunia quoque satis exiguo in numero præscribuntur; saltem illa diligenter servemus hac mente, aliquid videlicet ex nobis addendi Indulgentiæ, & remissioni mortificationum corporis, quas a nobis pœnitentia exegisset. Quod autem ad eleemosynam spectat, licet illam singuli suis viribus valeant aptare, attamen obliviscendum non est potissimam illius regulam esse debere charitatem, fervorem, & fructum, quem inde percipimus. *Idem ex parte.*

Dei misericordia apparet nobis per Indulgentiam pœnas peccatis debitas remittens.

Mirum sane esset, quod Reges, ac terræ Principes quibusdam in occasionibus calamitosis, qui in carceribus detinentur, extraordinarias concederent gratias, & Deus, qui divitiis, & misericordia omnibus Regibus antecellit, pro creaturarum suarum libertate, & solatio nullas vellet conferre. Mirum sane esset quod Principes illi ea die, qua regni coronam assumunt, vel qua triumphali curru in urbem invehuntur, in pauperum sinum ingentem auri argentique vim effunderent; & in Ecclesia nulli dies essent, quibus Jesu Christi thesauri aperirentur ad eos ditandos, quos Divinus Salvator suo cruore redemit. Mirum denique esset, quod Cœlum non sine manifesto miraculo in Judæorum victum, atque solatium quemlibet undequinquagesimum annum præ aliis uberiorem effecerit, & Cœlum ipsum invisibilibus Misericordiæ suæ prodigiis non effunderet in fideles animas quibusdam potius temporibus, quam aliis gratiarum suarum copiam magis affluentem. Dicamus ergo, quemadmodum Divina justitia suos habet ultionum dies, ita & misericordiam dies suos habere veniæ, & indulgentiæ. Consolamini igitur, veri Pœnitentes, consolamini, vos alloquitur Deus, cum ait: *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*. Sed quandonam tempus istud accedet? Ecce adest: *Ecce nunc tempus acceptabile*. Hoc tempus est Jubilæi, quo Deus generaliter suas misericordias profundit. *Idem.*

Divinæ interest bonitatis, quosdam habere dies, quibus uberius in nos suos thesauros effundat.

1. ad Cor. 6.

Si credimus Divo Bernardo, quoddam est tempus, quo Deus gratias suas ultra communem mensuram largitur. *In mensura contra mensuram, in mensura gratiæ contra mensuram Justitiæ*. Diceres, ut potentias, & charitas ejus magis apertis eluceſceret signis, illum gratias suas erga peccatores duplo liberalius effundere, quasi eos vincere vellet, suis beneficiis illos obruens, atque de manibus eorum arma dejiciens, cum in ipsum gravius insurgunt. Hoc autem potissimum Jubilæi tempore copiosius suas gratias effundit, ac nocentissimos quoslibet peccatores invitat, ut participes fieri velint gratiarum, quas mortalibus omnibus vult elargiri; hoc tempore non solum dexteram illis tendit, & paratus est, ut omnia

Hæc lo re Dei apparet erga hominis lapsus.

Ejusdem argumenti.

eorum peccata dimittat, sed etiam ut remittat pœnas, quas jure suo ab illis expoſcere posset justitia. *Auctor Anonymus.*

Quantopere Jubilæus Christianorum præstet Judæorum.

Potestisne (Fideles) pati, hoc tempus adeo propitium, vobis elabi, quin inde omnem eam percipiatis utilitatem, quæ vobis permissa est, & ad quam ipsa vos hortatur, & invitat Ecclesia? Cum adeo solliciti sitis, ne vobis ulla elabatur occasio seu locupletandi, seu æs alienum dissolvendi statim ac exiguum aliquod cupiditatis vestræ oculis spei lumen affulget; solertes ut ea quæ vobis proponuntur, lucra assequamini, vel ut impendentem egestatem avertatis seduli, ut ab aliena charitate consequamini, quod vobis deest, ut ex cæteris squalore emergatis, ubi sine hoc officio reliquum vitæ vestræ spatium in luctu, ac mœrore traducetis, negligentes eritis, & oscitantes in cœlestibus beneficiis vobismet procurandis? Stupida inertia, vobis e manibus elabi patiemini præclaras hasce occasiones ea persolvendi, quæ divinæ justitiæ debetis, quin inde ullam percipiatis utilitatem? Felices hi, sed pernicissimi dies, qui, ubi volueritis, non revertentur: effluentne, quin eam vobis suaviſſimam procuretis pacem, ac libertatem, quam vobis promittunt? *Idem.*

Clemor S.

Solemnitas hæc tanto est præstantior, quanto bona cœlestia atque æterna præstantiora sunt terrenis, & perituris, quæ lex servitutis, quæ non aliud erat quam figura, & umbra novi Testamenti, pollicebatur. Lex hæc promittebat, se Judæis restituturam dumtaxat possessionem terrarum, & hæreditatem, quas venumdederant, atque distraxerant, se illis redditurum corporis libertatem, quam amiserant, atque deleturam debita omnia, quæ conflaverant; at Jubilæo nunc fideles in spiritu libertatis renovantur, roborantur in spe adeundæ possessionis beatissimæ Patriæ, a qua propter scelera exciderant. *Idem.*

Quod præscribit Ecclesia ad Jubilæum lucrandum parum est, si conseratur cum iis, quæ Salvator passus est hanc nobis gratiam promeriturus.

Hæc remissio pœnarum, quas peccata nostra nobis promeruissent, sine affluentia misericordiarum, quas hoc Jubilæi tempore nobis divina largitas confert; gratia hæc, quam adeo liberaliter nobis impertit, satis æstimari non potest; & si proprii sanguinis pretio severissima pœnitentia, crucibus, atque martyriis esset redimenda, alacriter tamen hæc nobis essent subeunda: at Dei Filius non vult semper adeo charo pretio nobis sua beneficia conferre, ac nos adeo gravibus pœnis necessario subjicere. Ut salutis nostræ consuleret bonitas tua illum impulit, ut suaviori, facilioriqua via contentus esset, quin justitiæ suæ jura violaret. Hæc autem via est indulgentiæ, quippe Ecclesiæ suæ contulit potestatem applicandi satisfactionum suarum thesauros, ut debitis nostris suppleret, & ut debita propriis ipsius bonis persolveret. *Idem.*

Omnes temporales pœnæ per indulgentiam plenariam, & Jubilæum remittuntur.

Ratio illa, qua per intervalla utitur Ecclesia ad obtinendam a Deo remissionem temporalium pœnarum, quæ peccatis nostris debentur, est plenaria Indulgentia, & Jubilæus; ratio quidem admirabilis, qua non ad mollitiem palpandam, vel fovendam filiorum fuorum relaxationem, & impœnitentiam utitur, sed ad infirmitates eorum recreandas, ad pœnas imminuendas, eisque ferendam opem, ut facilius Domini jugum ferant, ad illos Sanctorum meritis juvandos, ac se eorum imbecillitati accommodandum, qui pro peccatis suis satisfacere non valentes, ad infinitam Dei misericordiam confugiunt, cui nihil antiquius est, quam illis prodesse. Etenim propter illos thesauros Dei aperit eorum dispensatrix Ecclesia, eisque applicat infinita passionum Salvatoris merita, & superabundantes tot heroicarum animarum satisfactiones, quæ aliquid præstiterunt, præter ea, quæ facere tenebantur, ut salutem consequerentur. Ratio admirabilis ob virtutem suam; quandoquidem Ecclesia ea, qua donata fuit, facultate illis omnes temporales pœnas remittit, ita ut qui pluribus annis in Purgatorio permanere debuissent, si omnes adimpleverint conditiones, quas illa ad Jubilæum lucrandum requirit, illuc ne ad breve quidem momentum descendant. *Joly, Tomo 3. Propositionum; Propositione prima de Jubilæo.*

Via Indulgentiæ, & privilegii multo brevior est quam pœnitentiæ, ut Divinæ justitiæ satisfaciamus.

Inter cætera discrimina, quæ occurrunt in pœnarum temporalium remissione, quæ per pœnitentiam, & quæ per Jubilæum obtinetur, hoc etiam est, quod per pœnitentiam non fine diuturnitate, ac difficultate obtinetur remissio. E contra vero per Jubilæum brevi, & suavi modo votorum summam consequimur; & si quem scirem ita obduratum esse, ac in se ita crudelem, ut parum sollicitus salutis suæ hac via omnibus liberari pœnis negligeret, huic profecto dicerem, quod olim Naamano ejus domestici, cum ille fubiratus ab Elisæo discederet, qui eidem præceperat, ut septies in Jordane abluereture lepra mundandus: *Pater*, dixerunt illi, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debuerat: quanto magis, quia nunc dixit tibi lavare, & mundaberis?* Hoc ipsum vobis dicerem, si de Jubilæo

Indulgentiæ desumptæ sunt ex thesauro meritorum Salvatoris, & superabundantis satisfactionis Sanctorum, & hic thesaurus est in Ecclesia.

4. Reg. c. 5.

Jucrando vos parum sollicitos intuerer. Etiamsi maria traducere juberemini, ut gratiam hanc quæreretis; etiam si præciperet Deus, ut vosmet bonis omnibus exueretis; ut vestram libertatem, innocuasque voluptates abdicaretis, ut reliquum vitæ spatium jejunaretis; ut in cilicio, & cinere aqua tantum, & pane viveretis, prompto, alacrique animo acceptandæ vobis essent omnes istæ conditiones, ut integram pœnarum omnium peccatis vestris debitarum remissionem obtineretis. Sed graves adeo pœnitentiæ nequaquam vobis imperantur; multo his minora petuntur; & veniæ facilitas vos non debet impellere, ut ad eam obtinendam omnes conatus vestros exeratis? Fructus quidem ubertimus est, conditiones faciles, quid adhuc dubitatis? Ecce hic Jordanis cillimæ, quid adhuc dubitatis? Ecce hic Jordanis fluit; illumne Jesu Christi cruore intuemini rubescentem? Vosmet in illum conjicite, & certus sum vos lepra mundandos: *Lavare, & mundaberis. Idem.*

Jubilæus nequaquam collatus est, ut Christiani vitæ suæ rationem negligant, vel remittant.

Deus hanc nobis gratiam confert debitas peccatis remittendi pœnas, non ut nosmet in officiis nostris remittamus, eaque negligamus; non ut in illius bonitate aliquem criminibus nostris prætextum inquiramus; non ut credendi occasionem arripiamus ipsum omnia facere, quin aliquid nobis faciendum superfit; sed illam confert, ut verum læsi nominis dolorem concipiamus, ut infinitæ ipsius bonitatis consideratio ad satisfaciendum ejusdem justitiæ nos adigat; ut, si minus pœnitentiæ opera facere possimus, saltem pœnitentiæ spiritum tueamur. Hinc sit, eos falli, quorum in Jubilæo recipiendo non alia mens est, quam iis exonerari pœnis, quas divinę debent justitiæ, ut rursus scelerum suorum stadium repetant, ac recentibus debitis obruantur. Ne erretis, S. Cyprianus ait; Ecclesia plenariam pœnitentibus largitur Indulgentiam, sed tunc cum illos mœrore confici intuetur eo quod læserint Deum, an cum paratos videt illi certamini subeundo, in quo turpiter cecidere? *Pacem non dormientibus, sed vigilantibus damus.* Pacem quidem concedimus, at quibusnam? Non dormientibus, & qui soporem, ac ignaviam diligunt; sed qui vigilant, & qui melius, quam antea sibimet vigilaturos promittunt. Pacem concedimus; sed vę nobis, si concesserimus illam, ut mollitiem foveamus, & peccantium voluptatibus obsequamur; illam hoc tantum sine concedimus, ut iterum, quę abjecerant, sumptis armis, generosius quam ante decertent. *Idem, Propositione* 3.

Non negligenda est adeo propitia occasio integram, perfectamque peccatorum nostrorum veniam obtinendi.

Profecto licet hoc tempore non aliud bonum assequi possemus, nisi nosse, Dei Filium peccatoribus omnibus recipiendis esse dispositum, ac paratum, ut nobis mortis, atque passionum suarum applicet fructus; ne egestatum nostrarum sensus nos deberet impellere, ne adeo præclaram occasionem e manibus nostris elabi pateremur. Illud vero magis urgere nos debet, quod in generali hac bonitate hoc præsertim tempore promittit Justitię suę severitatem se remissurum; non dico in iis, quę ad peccatorum nostrorum pertinent culpam, (licet hoc Jubilæi tempore magis, quam alio quovis paratior sit venię hujc concedendę, & ad id illum communes Ecclesię preces magis disponant, hic nihilominus proprius non est effectus Jubilæi: semper gratiam hanc obtinere possumus ad Pœnitentię Sacramentum accedentes præterquamquod ipse quoque Jubilæus culpam jam ablatam fuisse supponit;) sed id quod proprie operatur, & quod Deus nobis potissimum offert, est remissio pœnarum, quas meriti sumus, & quas nondum divinę justitię persolvimus; quapropter Indulgentię nomine appellatur. Quod magis nostris necessitatibus solatium Salvatoris largitas afferre poterat? Nonne hæc satis valida ratio est fidelibus omnibus, ut adeo propitia occasione uti velint? *Biroat in Sermonibus Dominic. Sermone* 1. *de Jubilæo.*

Hujus beneficii magnitudo.

Ecce, o Fideles, in Jubilæo, qui nobis offertur, ratio expiandi peccata nostra, divinæque justitię satisfaciendi; & illud ipsum, quod Sanctis viris tanto cruore stetit, gravissimas austeritates in corpus suum exercentibus, illud inquam ipsum nobis mitissimis conditionibus exhibetur; dummodo aliquot preces effundamus, aliquot jejunia servemus, aliquot erogemus eleemosynas. Salvatoris satisfactiones iis supplebunt, quę nostrę desunt pœnitentię; ita illius faciemus satis justitię, atque quidquid huic debemus ad ultimum usque quadrantem persolvemus. Nonne nostra non tangi utilitate palam ostendimus, si adeo propitiam elabi patimur occasionem? Quid diceres de homine quopiam ære alieno gravato, ac ingentem auri vim debente, cui nunciaretur, omnia a creditore dimitti debita, dummodo aliquot tantum persolveret obolos? Si debitor hic adeo exiguam æris summam creditori suo denegaret, nonne jure illum insipientem diceres, qui adeo præclaram eris alieni dissolvendi occasionem sibi evolare pateretur? *Idem.*

Inter Jubilæi fines obtinere pacem. Quid pro tanto hoc bono faciendum non est?

Communis Jubilæorum finis est obtinere pacem, quam Deus unus potest conferre. Ad id omnes thesauros suos aperit Ecclesia, nostrasque preces efflagitat ad irritati Dei, qui in mortales flagellorum omnium gravissimo animadvertit, bello videlicet, iram leniendam. Profecto quamvis pacem hanc respiceremus tamquam bonum mere temporale, vel politicam felicitatem, nonne teneremur Ecclesiæ votis velificari, ubi illa hoc a nobis depoſceret? Quis nostrum tot annos propter mala, quæ bellum parit, illacrymatus non est, & pacem votis omnibus non expetivit? Omnes boni summo dolore confecti sunt videntes tantum sanguinis fluere, ac tot hominum vitam immolari. Sed ubi immania ad infligenda fuere tributa, & hauriendus populorum sanguis ad belli sumptus efficiendos, quot in Cœlum emissa fuere suspiria, ut hæc pax tantopere concupita obtineretur? Mihi igitur persuadeo, nihil ulterius requiri, ut vestra cum Ecclesię votis consocianda esse censeatis. Verum Ecclesia non petit pacem ob unum hoc bonum temporale, sed etiam propter causas longe gravissimas, quę æternum respiciunt interitum filiorum suorum, cujus bellum ipsum est causa. Etenim si vacat animo repetere cruentam tot bellorum imaginem, quę tot annis Europam affligunt, invenietis funestissimis præliis Ecclesiam mirum in modum fuisse afflictatam. Tot hominum millia in acie cæsa erant Ecclesiæ filii; cruor ille, quo tot agri maduere, cruor erat Fidelis; impetus iidem, qui prostraverunt oppida, Aras quoque everterunt. Inde vero quonam dolore contabuit videns tot Christianos per horum bellorum occasionem æternæ morti damnatos? Quomodo illi sine Sacramentorum usu excesserunt? Quomodo rabiem inter ac desperationem effiarunt animam? Nonne igitur merito adnititur illa hisce malis finem imponere, Dei iram sedare, atque ad id affequendum nihil intentatum relinquere? At præsentissima, & efficacissima hujus boni obtinendi ratio est Jubilæus, qui in unum veluti corpus fideles omnes conjungit Dei misericordiam deprecaturos, ejusque justitię precum, jejuniorum, eleemosynarum, aliorumque bonorum operum, quę hac mente fiunt, congerie satisfacturos. *Idem.*

Comparatio effectuum Jubilæi, & Baptismi.

Si privata salutis nostræ, & communia Ecclesiæ bona ex hoc pendent Jubilæo, nonne diligentissima cura nosmet ad illum lucrandum debemus disponere? Ita sane; quamvis nullam ex precibus, jejuniis, atque eleemosynis perciperemus utilitatem, cum hæc ratio sit pacis obtinendæ, concordiæ inter Fideles Principes tuendæ, malis, quæ patitur Ecclesia, obicem afferendi; hæresis convellendæ, fideique promovendæ; profecto omnibus viribus adnitendum esset, ut hunc Jubilæum lucraremur. Opem hanc debemus Ecclesiæ hoc solatium deposcenti, illam debemus Patriæ, totique Europæ de gravissimis belli calamitatibus conquerenti. Illam nobismetipsis etiam debemus; & si nondum satis boni sumus, ut piis operibus tantam gratiam consequamur, saltem illi obicem inicere non debemus, atque eo in statu nos constituere opus est, ut per nos minime stet, quominus Ecclesia ea fruatur felicitate, quam cupit, & quam impensius efflagitat. Væ illis, qui per negligentiam suam, vel pravam animi dispositionem nihil ad hunc finem conferunt; sed multo magis væ illis, qui eidem sceleribus suis adversantur. *Idem.*

Privata singulorum, & communia Ecclesiæ totius bona pacem spectant.

Si Jubilæum lucraturis graves diuturnæque nobis imperarentur pœnitentiæ, cilicia, vigiliæ, integrorum annorum jejunia, fortasse negligentiam nostram harum rerum difficultate excusare possemus; sed quænam sunt utilissimarum harum, Indulgentiarum conditiones? Aliquot dumtaxat eleemosynæ, eæque secundum vires, vel potius voluntatem singulorum erogandæ; quorumdam Templorum, immo unius etiam visitatio; satis est enim juxta Bullæ verba unicum Templum invisere; tridui jejunium in una tantum hebdomada, a quo, si affecta simus valetudine, Confessarius dispensare nos potest: Numquid hæc nimia videantur peccatori, qui postquam millies infernum meritus est, qui post reconciliationem meretur adhuc Purgatorii supplicia, & qui justissime omnibus mundi hujus cruciatibus potest torqueri? Numquid non inexcusabiles sumus, si hanc elabi sinimus occasionem non ultra fortasse nobis redituram? Eheu! Si miseris damnatis hæc affulgeret occasio; si Jubilæus, quem hoc in Templo vobis annuntio, ad inferni ostia prædicaretur, quin

Si hæc non utimur occasione inexcusabiles sumus.

quin non efficerent animæ illę nequam illum lucraturæ? Preces, jejunia, mortificationes; hæc non sufficiunt ad Dei iram leniendam; ad id omnes cruciatus martyrum sibi adoptarent. Sed quod illę numquam habituræ sunt omni suppliciorum suorum æternitate, hoc nos confessionibus nostris, & Indulgentiarum lucro assequi postumus, utamur solum divina misericordia, dum præsto est, ut nobis pœnas dimittat. Veniet aliquando illa dies, qua nullus erit amplius Jubilæus, indulgentia nulla; & fortasse si præsentis occasionem negligimus, aliam quamlibet Deus nobis est ablaturus, bonitatis suæ contemptum subtractione gratiarum ulciscens, & fortasse tandem hic Jubilæus postrema erit vestræ salutis occasio. *Idem.*

Sancti Patres pœnitentiam difficilem, molestumque Baptismum appellant, Baptismum imitatur, quia delet peccatum, illudque non secus atque hoc Sacramentum remittit. Sed est Baptismus severus, quia plurima requiruntur jejunia, plurimæque mortificationes, ut effectus suos consequatur. Sed longe mitioribus propositis conditionibus per Indulgentiam remittuntur peccata: hæc lenior est Baptismus, tum quod Jubilæus omnino delet peccata, tum quod ea facile, ac sine multo labore delet. Quemadmodum in Baptismo ad peccata omnia expianda tres tantum aquæ guttæ sufficiunt cum vero dolore ob patrata scelera in eo qui baptizatur; ita ad Jubilæum lucrandum aliquot dumtaxat preces, jejunia, mortificationes sufficiunt. Itaque dici potest pro peccatorum expiatione triplex esse Baptismatis genus; Aquæ Baptisma, quod primum est Sacramentum Ecclesię, & hoc sine ulla severitate applicatur; Baptisma lacrymarum pœnitentium, & hoc cum magnis pœnis, atque austeritatibus confertur; & Baptisma gratiæ, quod in Jubilæo, atque Indulgentiis acquiritur. Tertium hoc est quoddam veluti inter utrumque temperamentum; habet enim aliquam pœnitentiæ severitatem, nam aliquis dolor, aliquot jejunia, ac mortificationis opera requiruntur; at aliquam habet Baptismatis facilitatem, eo quod Deus parum adeo requirit. *Idem.*

In Indulgentia aliquæ in nobis requiruntur satisfactiones, quæ Dei satisfactionibus accedant.

In Indulgentia, & Jubilæo preces, & eleemosynas nostras Salvatoris meritis, & satisfactionibus confociamus; unde fit, ut quemadmodum exiguus aliquis rivus sese magno alicui fluvio commiscet, & eodem alveo defluens, hac immixtione, & auxilio facilius in mare fertur, quo fortasse numquam pervenire potuisset; similiter lacrymæ, ac pœnitentię nostræ, quæ numquam in Dei sinum fuissent ingressę, si solę fuissent, cum Hominis Dei sanguine permixtę instar exigui rivuli cum ingenti flumine magnifice in misericordię Dei sinum ferantur, ibi integram criminum nostrorum remissionem impetraturæ. *Idem, Sermone* 3.

Quomodo in Indulgentiis, & Jubilæo Sanctorum satisfactiones cum Filii Dei satisfactionibus conjunctæ.

S. Joannes in Apocalypsi ait, se vidisse *tamquam mare vitreum simile crystallo*. Mare hoc, o fideles, inexhaustus est meritorum, & satisfactionum thesaurus, quem Salvator suæ reliquit Ecclesię, similis crystallo indesinenter & Patris, & suis oculis exhibens pretium, & dignitatem satisfactionum suarum, quæ infinita scelera valent expiare. Sed quemadmodum mare sexcentos sinu recipit exiguos fluvios, qui ibi desinunt non ex necessitate, quia non ideo augetur mare, sed potius ex quadam indulgentiæ specie, ut ibi recipiantur, ea partem immensi hujus pelagi constituant; unde fit, ut exigua hæc flumina nomen amittant, cum in abyssum eam ingrediuntur ita Dei Filius in thesauris sanguinis sui recipit merita, & satisfactiones Sanctorum, quę ad peccatorum expiationem necessarię non sunt; quippe Salvatoris satisfactiones ad id satis, & super abundant: easque recipit non ex necessitate, vel ut sua augeantur merita, sed quia mirabili bonitati suę consilio hanc patitur Sanguinis, lacrymarumque suarum, cum humanis commixtionem, ut mare hoc componatur. Hinc omnes istę satisfactiones cum Jesu Christi meritis consociatę nomen suum amittunt statim ac abyssum hanc ingrediuntur, & efficiunt, ut absolute dicamus hunc esse generalem misericordiarum Salvatoris thesaurum, infinitum hoc ærarium humanis necessitatibus offerentis. *Idem.*

Discrimen inter eam satisfactionem, quæ Deo fit per communem pœnitentiam,

Quemadmodum in miraculosis curationibus, quas operabatur Deus, repente perfectam restituebat valetudinem: ita repente in Indulgentiis peccatum cum debita eidem pœna remittit. Pœnitentia non est adeo velox; sensim hæc expiat peccata: hodie jejunium unum, cras alterum: hodie una eleemosyna, perendie altera; lento incedit gradu non secus ac consuetę morborum curationes. Sed in Indulgentiis satisfactiones, quas divinę debemus justitię, repente fiunt, Indulgentiæ enim per applicationem meritorum Salvatoris, & cum Sancto Cypriano dicere possumus: *Non per momenta temporis, sed compendio gratiæ maturantur.* Hoc est pœnitentię compendium, quod non expectat temporum intervalla, sed momento eas persolvit pœnas, quę plures annos a nobis ferendę fuissent. Hinc locupletissimum etiam fructum percipimus; nam per Indulgentiam perfecte peccata nostra expiamus, quod raro accidit pœnitentiæ. Et ratio est, quia per partes debitum persolvendo, numquam integra fit dissolutio, & semper debita recentia contrahuntur. Mensis, exempli gratia, pœnitentię pro mortali peccato requiritur; esto quidem, satis fervens, & Christianus sim, ut hanc pœnitentiam ad unguem adimpleam; verum cum minime sim impeccabilis, nova subinde peccata, saltem venialia, committo. Hæc nova sunt debita, novę obligationes, ideoque pro iis, quę committo, peccatis novas subire teneor pœnitentias: hęc nova sunt debita, pro quibus divinę justitię non satisfeci; sed Indulgentia, & Jubilæus triduo, ad summum quatriduo acquiruntur, & per ea, omnia ex asse divinę justitię debita persolvuntur. Nonne hoc incomparabile bonum est? *Idem.*

Quo spiritu Jubilæum lucrari debeamus.

Cum Jubilæi effectus integra sit animarum nostrarum curatio, cumque involvat præteritorum criminum remissionem, & peculiarem gratiam, ac illa imposterum amplius committantur, Jubilæum hunc lucrari debemus duplici hoc spiritu, pœnitentię pro præterito, & conversionis pro futuro. Satis non est jejunare, orare, eleemosynas erogare; quemadmodum hæc opera destinata sunt, ut divinę fiat satis justitię, ut peccatorum nostrorum venia oretur, & exoretur, ut actiones nostrę animentur; facienda sunt in spiritu, & veritate, ut verę sint satisfactiones; facienda sunt in spiritu pœnitentię, ut, si minus Jubilæus re ipsa pœnitentię habet severitatem; saltem habeat femina doloris, & pœnitentię. Hac hebdomada incipitis implere conditiones, quę ad Jubileum lucrandum acquiruntur, incipitis jejunare, Templa invisere, eleemosynas erogare; at hic tantum cortex est, atque extrema species Jubilæi, hujusmodi actiones vox efficere oportet cum spiritu pœnitentię, cum sensu doloris; veluti nocentes, qui læsi numinis contumeliam reparare tenentur, & misericordiam deposcunt. Sed ubinam signa sunt hujus spiritus pœnitentiæ? Num major videtur in ore modestia, minor in vestibus pompa renidet? an potius videntur Fideles invisere Templa eodem satellitio stipari eadem vanitate, eodem luxu ac si ad aliquod solatium pergerent; preces aliquot festinanter, modico fervore, modicaque attentione fundere, leves erogare eleemosynas, quę ne minima quidem sunt pars ejus pecuniæ, quam in incertum aleæ jactum committunt; jejunare cum vespertina refectione, quæ aliis opiparum esse posset convivium, & quin ullum famis incommodum sentiant? Et putas hoc esse lucrari Jubilæum; hoc esse adimplere ea, quæ ad Indulgentiam, criminumque remissionem obtinendam præscribit Ecclesia? Haud ita sane. Non huic jejuniorum, orationum, & eleemosynarum generi peccatorum nostrorum venia, & pœnarum, quæ nobis debentur, remissio conceditur, si Jubilæi fructum, & bona percipere cupimus. *Idem.*

Jubilæus est pericta reconciliatio cum divina Majestate, quæ a nobis læsa fuit. *Psal.* 50.

Cum Jubilæus fidelibus conferatur insolita divinæ misericordiæ effusione, animadvertendum est secundum Scripturæ stylum in Deo quamdam esse misericordiam, quę propter infigniores ejus effectus magna vocatur: *Secundum magnam misericordiam tuam.* Divinæ misericordię idem accidit, quod ingentibus fluminibus, quę semper æqua fluctuum suorum magnitudine feruntur, sed quę aliquibus anni tempestatibus exundantia proximis agris afferunt ubertatem. Jubilæi autem tempore dicere possumus divinę misericordię in Christianum populum fieri exundationem, & fidelibus gratiarum diluvium afferri. Hic divinę bonitatis fluvius non adlambit solum radices arborum, quæ secus decursus aquarum sitæ sunt, ut Regius Psaltes ait; hoc est non iis solum se communicat, qui justi, ferventesque sunt, atque in ipsa fluminis ora confiti; verum ad nocentissimos quoque sese peccatores effundit, qui ab eodem quam maxime distant. *P. Texier. Sermone de Jubilæo.*